

CLAUDIUS GALENUS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE MAGNIFICI DOMINI PRAESIDIS, NEC NON I. FACULTATIS MEDICAE, PRO DOCTORIS MEDICINAE GRADU RITE OBTINENDO, IN ALMA AC CELEBERRIMA REGIA SCIENTIARUM UNIVERSITATE HUNGARICA

CONSCRIPSIT

JOANNES GEORG. GARTMANN.

HUNGARUS EPERIESSIENSIS.

Theses adnexae publice defendentur in Palatio Regiae Universitatis majori die Augusti 1833.

PESTHINI,

TYPIS LANDERERIANIS.

**Integrum, quam late patet, Medicinae ambitum complexus est, —
uberrime omnia, ita ut nemo mortalium post eum, similem
laborem vel votis aggressus sit.**

ALB. HALLER.

ILLUSTRISSIMO DOMINO

COMITI

STEPHANO FORGÁCS

DE GHYMES ET GÁCS etc. etc.

IN AETERNUM

PROFUNDISSIMÆ VENERATIONIS ET GRATITUDINIS
MONUMENTUM.

Devotissimus Auctor.

I n t r o d u c t i o .

Ut legi academicae satisfacerem, immortalis Pergameni biographiam, presse et succincte, duce cumprimis Curtio Sprengel et F. C. Hecker - viris hoc in genere principibus — scribere constitui. Pulchrum certe et utile est, nosse facta, moresque virorum, per quos maxime salutaris ista nobis scientia professioque increvit! Nonne juvat ad scrutandam et cognoscendam, qua late patet, naturam, dissitas petere oras, ampla transmittere maria, per praecipites montes, per salebrosas valles ferri, animo nec molestias, nec fatigiam, nec ipsa vitae pericula horrente? — in biographiis magnorum virorum, quos ceu totidem grandia artis et scientiae nostrae columina et decora suspexeris, puerum esse non pudet? Celebratissimus Gallorum de educatione scriptor, vitas singularium virorum, vastis Historiae voluminibus, praeferre non dubitavit. *) Inspicere, tanquam in speculum, in vitas omnium, atque inde sumere exemplum sibi, senex Demea apud Terentium in Adelphis jubet. **)

Swave non minus quam utile est, navim ut ita dicam Aesculapii in alto ac spatioso, quale medicorum est aequore, inde ab obscuris incunabulis ad nostra usque lumina, diverso utique vento, jam secundo jam adverso, propulsam jactatamque, curioso nec fucato

*) J. J. Rousseau: Emil ou de l'éducation. Edit Paris. 1799.
T. II. p. 140.

**) Actu tertio, scena tertia, versu 62.

oculo sequi, spectareque magnum illius laborem! hoc agitans, facile mehercle videas, quo gubernatore dura et tristia, quo contra lenia et jucunda navis nostrae fata fuerint —! quid hoc, quidve illo domino ad declinandas syrtes vadaque, praeceptum, actum, effectumque sit! — undenam adversi, unde secundi venti, quae via brevior, melior, fructuosior? et quae his similia sunt.

Ab observatione et experientia deductam esse Medicinam, nemo inficias iverit; non ista unius hominis, non unius gentis, non unius saeculi opus est, sed omnium hominum, omnium gentium, omnium saeculorum immensa, varia, magnificaque progenies; hinc facile consequitur, tam antiqua quam nova monumenta et fastos inspiciendos consulendosque esse, *) natura utique vetustissimo illo simulque novissimo idolo, cujus ministri et interpretes sumus, **) primas tenente. Sine his nec promptum, nec multum, nec satis potentem usum esse, ultro patet „non proinde vera medicina, prout multi putant, praesto est, neque in transitu capitur, neque ex praenotionibus intellectui blanditur, neque ad captum vulgi, nisi per utilitatem et effecta descendit!“

Cl. Collega Em. P. Lindenmayr Coi senis vitam descripsit, ego rudi forte ac incondita, at certe bonae conscientiae pretio ducta voce, facta, mores, meritaque magni Commentatoris tradam. Multae certe ejus magnaeque virtutes fuerunt: ingenium facile, diffusum, nec minus vastum quam ipsa natura, studium indefessum, vastissima rerum omnigenarum cognitio. Non parum certe magnus hicce Pergamenus medicinae commodi attulit, ex veterum, quorum utique erat peritissimus, scriptis plurima nobis monumenta, quae alibi

*) F. G. Zimmermann: von der Erfahrung L. II. c. 5. 1. Bd. p. 91.

**) Fr. Baconus: Novum organon scientiarum, seu Jud. ver. de interp. nat. L. I. Aphor. I.

non reperias, conservando, morbos es pulsus et infirmitates, raras visu, chartis consignando, diffusa colligendo, digerendo intricata; at nec parum bonae arti nocuit conflando graecae medicinae, tricus dialectices, nec non nugis et insomniis peripateticae philosophiae, insignem, per saecula multa rudi, pertinaci, coeca fide cultum, codicem. Sic saepe, ad imitandum pronum hominum genus, jugum magno et splendido ingenio fabricatum, lubenter sibi imponit, et per saecula bajulat, tristi nec parum ridiculo spectaculo!

Medicina Romana ante Galenum.

Medicina apud Romanos, bellis solum et agriculturae intentos, nec tam cito, nec ad eum excoli potuit gradum, quem apud incolas Graeciae et universim Asiae minoris attigit, ut qui deliciis vitae et luxui magis indulgentes, morbis aditum facilem praebuerunt. Nec tamen antiqua medicinae vestigia abfuere Romae, ubi anno 467. a. Ch. Apollo post morbum contagiosum; anno 460. Aesculapius, anno 450. Salus seu Hygea jam sua habuerunt templa, quibus, cum epidemiae e regionibus ponticis paludosis urbi minarentur, dona offerrebantur. Dea Iebris, Ossipaga (ossium incremento favens) Intercidona, Pilumnus et Deverra (pro parturientibus et puerperis) in propriis colebantur templis. *) Non constat autem, num sacerdotes ipsi aegros tractaverint, an vero medicorum consilio adjuti. Munus medicorum initio mancipia e Graecia obierunt, scientiae et artis indigna, servorum instar habita; qui vero digniores medici, serius comparuerunt, his jura civium cuncta tribuebantur.

*) Augustia. L. VI. C. 9.

Primus medicus Romae fuit Graecus Archagathus, qui crudeli aegrorum tractamine, civium, et praepriis Catonis odium conscivit, Carnificis nomine compellatus. — Cato ipse medicinam exercuit, quae simplex et superstitiosa fuit. *) Anno 100 a. Ch. Asclepiades Bithynius, ea, quam humanitate, mansuetudine, scientia promeruit, fruebatur veneratione, quem Romani doni divini instar habuerunt. Ex ejus discipulis et asseclis fama celebres vixerunt: Alexander Laodicæsis, Clodius, Titus, Philonides, Nikon, et principes omnium Themison Laodicæsis, Scholæ methodicæ fundator, et Thessalus Trallicianus ejusdem excultor. — Principia Scholæ methodicæ satis erit commemorare. Justa atomorum ad invicem relatio mechanica sanitas est, quae duplici a norma deflexu, tria morborum genera provocat, puta strictum, laxum et mixtum. Hinc generali indicatione facta, cuivis morbo generalis opponebatur methodus medendi, relaxans et adstringens, indole et natura morbi, et individui constitutione neglectis. Nec momentorum causalium ratio habita fuit, utpote quae morbum quidem provocare valent, eo vero posito suapte vi et actione omni exui oportet: — hinc therapia in omni morbo eadem. **) Ubi in morbis inprimis chronicis strictum vel laxum morbi genus determinari non potuit, elemen-

*) Catonis medicina qualis fuerit, hinc adparet: Mulieres a medicamentorum exhibitione arcebat; — pecoribus dum medicina daretur, posterioribus pedibus insistendum erat; — luxationes carminibus et verbis barbaris curari credidit. Confer Cato de re rustica C. 160. p. 89. „Luxum si quod est, hac cantione sanum fiet: Harundinem prende incipe canere in malo S. F. (Sanitas Fracto) motas vaeta daries dardaries astataries, - vel hoc modo: huat hanat huat ista pista sista domiaho damnaustra et luxato“ etc.

**) Cael. Aurel. L. II. c. 13. „Sed neque secundum has differentias (nempe morbi causas) differens erit adhibenda curatio. Una est enim atque eadem passio, ex qualibet veniens causa, quae una atque eadem egeat curatione.“

torum corporis immutatio, sic dicta *metasyncrasis* suscepta fuit, circulo resumtivo et *metasyncritico* constans. Doctrina de *crisibus* exulante, *periodus* tamen morborum *tertiana* observabatur (*διατριτος*). Themison indurato hepatis caustica admovere, lienem auctum ferro candente urere, non dubitavit. — Thessalus, culturae altioris expertus, victorem medicorum se nuncupans, omnem medicinam, quae non sua esset, falsam declaravit, — universam medicinam spatio sex mensium quemcumque docuit, quare homines sortis infimae, magistrum per urbem ad aegros comitati, ejus fuere encomiatores.

Dum itaque schola dogmatica proximam morbi causam eruere conabatur, empirici solam coluere observationem, methodicis, auctore sic volente, medium tenentibus.

Fuere tamen viri, quos historia medicinae suis adnumerare superbit, quin cuidam se addicerent sectae. Aulus Cornelius Celsus (in philosophia Scepticus) morbos in universales (Febres), et topicos divisit, curam omnium fere solum diaeticam faciens. — Cajus Plinius, cujus historia naturalis aeternam meruit celebrationem, licet vix non superantem vires humanas perfecit laborem, morbos non observavit, medicaminum simplicitatem laudavit, compositorum formulas fraudi medicorum abscribens, quorum semper severus erat arbiter.

Qui ad tempora Galeni usque praeterea memorari inter methodicos merentur, sunt: Marinus, Anatomiae restaurator, Hierophilus, Eudemus, Heraclides, Menecrates, Andromachus (primus archiater imperatoris Neronis), qui Theriacam parare docuit, Dioscorides Anazarbeus, pharmacologiae autor, *) Serapion, Musa.

*) Pedacii Dioscoridis Anazarbei de medicinali materia L. VIII.

Conatus medicorum, Jatriam dignitate scientiae dogmaticae condecorandi, scholam pneumaticam fundavit, Athenaeo Attaliensi lumen praeferente. Quidquid est, e pneumate oritur, quod ignis specie omnem penetrat materiam, elementorum suorum subtilissimorum in densiora transitu, aërem, aquam, terram formans. Qualitates elementorum passivae et activae, illae sicca et humida, hae calida et frigida indole manifestae. Pneuma, conscientia donatum, spiritui humano, nobilioribus corporis partibus, imo animalibus quoque et plantis inest.

Agathinus, licet Athenaei assecla, non tamen immutatam ejus amplexus fuit doctrinam, verum quod in cunctis scholarum dogmatibus boni invenit, cum schola pneumatica conciliare nitebatur; hinc orta schola eclectica, seu episynthetica, cujus celebratissimus medicus Archigenes.

Qui Galenum proxime praecesserunt, celebrantur: Arethaeus Cappadox, Auctor libr. VIII. de causis, signis et curatione morborum acutorum et diuturnorum; — Cassius cognomine Jatrosophus, et praecursores Galeni Herodotus, Magnus, Heliodorus.

Biographia Galeni.

Claudius Galenus, Pergami in Asia minori anno 131 post Christum natus, a patre suo Nikone, architecto, solertissimam obtinuit educationem, ardentissima sciendi cupidine incensus. Magistros habuit Cajum (Platonicum), et philosophum Stoicum, Philopatoris discipulum. Anno aetatis 17. studium medicum amplexus fuit, somnio parentis ad id persuasus, — prout serius etiam, in momentosissimis deliberationibus, somniis plurimum tribuit. Primi eum edocuerunt in Anatomia et Materia medica Satyrus, Stratonicus et Aeschrius (empiricus). Patre mortuo annos natus 21. Smyrnam concessit, ut Pello-

pis (anatomis) et Albini (Platonici) institutione fruatur. Inde Corinthum petiit Numesianum auditurus, Alexandriae, ceu centro totius eruditionis, studia consummans, Anatomia prae ceteris occupatus. 28. aetatis anno Pergamum in patriam redivit, publicamque a sacerdotibus Aesculapii gladiatorum suscepit curam, sub qua sexennii spatio Chirurgiam excoluit. Dum annum 34. ageret, imperantibus M. Aurelio Antonino et Lucio Vero (164. p. Ch.) Romae comparuit, ubi mox felices aliquot morborum curae, praeprinis vero eximia praesagiendi facilitas, et Anatomiae penitior cognitio famam et celebrationem a civibus, a Medicis ingens eidem peperit odium. Publice praelegebat ex Anatomia et Physiologia, auditoribus e classe eruditorum et patriciorum ornatus. — Cum tamen his praelectionibus Medicis ansam daret, naevos doctrinae suae exprobrandi, eas interrupit, et Medicorum invidia persecutus, tandem urbem deserens, Brundisium, inde Pergamum abiit; in quo itinere scientiae minime oblitus, sese autopsia de vera quorundam medicamentorum indole edocuit; — Cyprum ob fodinas cupri, Syriam et Palaestinam ob Asphaltum, Lyciam ob Gagatis investigationem invisit. Brevi post ab imperatoribus revocatus, pedes per Thraciam et Macedoniam iter perfecit, et Aquilegiae Theriacam *) paravit. Marcum Aurelium sequi durante bello Marcomannico in Germaniam, somnio ab Aesculapio dissuasus, renuit, ejusque comitum Archiatro Demetrio cessit, ipse Caesaris Commodi Medicum Romae agens, tempus partim conscriptioni numerosorum grandium librorum (quorum pars maxima in Palatio flammis consumpta est), partim praelectionibus publicis, partim denique aegris tractandis impendens. Sub imperatoribus Pertinace et Septimio Severo adhuc Romae morabatur (197. p. Ch.),

*) Theriaca habuit 61. ingredientia e classe efficacissimorum.

et oblit initio saeculi tertii, non scitur an Romae vel Pergami? scriptoribus eidem aetatis annum inter 70. et 80. assignantibus.

O p e r a G a l e n i .

Vastissima scientia, idearum facilitas, et necessitas naturalis cognitionem aliis communicandi, Galenum ad scribendum compulerunt, in quo quid fecerit, ingens librorum numerus testatur, quorum pars duntaxat temporis infausti illocebras evasit. In cunctis vero operibus pleonasmus asiaticus dominatur, quem necessitate adversarios bene refutandi Auctor vindicare conabatur. Claritatem rei verbis elegantibus praefert, quin logomachias ipse vitet. Asserit, se vulgi opinione non regi, nec famam quaerere, quare operibus nomen non praeposuit, nec tamen jactatione meritorum caret, dum dicit: Hippocratem praestisse aliquid aperiendo medicinae tramitem salebrosam, quem ipse planum fecerit et mobilem, perinde ut Trajanus vias militares imperii romani.

Opera propria commemorat 125, fere cuncta philosophica, quae interierunt, prout et 49 Libri medicinales. Opera nondum typis impressa 80. in diversis Bibliothecis occurrunt. Existunt vero 100. indubie genuina. 18. originis non evictae; — 44. manifeste spuria, et 19. fragmenta. Nominatim:

A n a t o m i a e t P h y s i o l o g i a .

De Elementis ex Hippocrate. L. II. — De Temperamentis L. III. — Commentarii II. in L. Hipp. de natura hominis. — De Humoribus. — An sanguis in arteriis natura contineatur. — De atra bile. — De Semine L. III. T. III. — De ossium natura. — De ossibus ad tirones. — De anatomicis administrationibus. L. IX. — Vocalium instrumentorum dissectio. — De venarum arteriarumque dissectione. — De nervorum

dissectione. — Oribasii de musculis ex Galeno Fr. — De uteri dissectione. — De usu partium corporis humani L. XVII. (Opus cui vix aliud simile). — De anima Fr. — De substantia naturalium facultatum Fr. — De naturalibus facultatibus. L. III. — De placitis Hippocratis et Platonis. L. IX. — In Timaeum Platonis Er. — De foetuum formatione. — An omnes partes animalis, quod procreatur, fiant simul. — An animal sit, quod in utero est. — De septimestri partu. — De instrumento odoratus. — De motu musculorum L. II. — De motu thoracis et pulmonis Fr. — De respirationis usu. — De causis respirationis. — De usu pulsuum. — Quod animi mores corporis temperamenta sequantur. T. V. —

Pathologia et Semiotica.

De morborum differentiis. — De morborum causis. — De symptomatum differentiis. — De symptomatum causis. L. III. — De febrium differentiis. L. II. — De inaequali intemperie. — De Tabe seu Marasmo. — De Tumoribus praeter naturam. — De Plenitudine. — De causis procatarteticis. — De tremore, palpitatione, spasmo, rigore. — De spirandi difficultate L. III. — De morborum temporibus. — De Typis. — Adversus eos, qui de Typis scripserunt. — De locis affectis L. VI. — De mulierum affectionibus Fr. T. VII. — Comm. XII. in Hipp. Epid. l. III. — Comm. VII. in Hipp. Aphorismos. — Adversus Lycum etc. — Adversus Julianum etc. T. IX. — De pulsibus ad tirones. — De pulsuum differentiis L. IV. — De pulsibus dignoscendis L. IV. — De causis pulsuum L. IV. — De praesagitione ex pulsibus L. IV. — De urinis compendium. — De crisis L. III. — De diebus decretoriis L. III. — Commentarii III. in L. Hipp. de humoribus. Comm. III. in Hipp. Prognosticon. — Comm. III. in I. L. Praedictionum Hipp. — De praenotione ad Posthu-

num. — De venaesectione Fr. — De decubitu prognostica ex mathematica scientia. — Quomodo morbum simulantes sint deprehendendi. T. VIII. — De dignotione ex insomniis. — De priorum animi cujusque affectuum dignotione. — De cujusque animi peccatorum dignotione. — De consuetudinibus T. VI.

Therapia et Pharmacologia.

Methodus medendi. L. XIV. — Ad Glauconem curativi L. II. — De venaesectione adversus Erasistratum. — De venaes. adversus Erasistratos Romae degentes. — De curandi ratione per venaesectionem. — De Hirudinibus, Revulsione, Cucurbitula et Scarificatione. — Quos, quibus medicamentis, et quando purgare oporteat. — De puero epileptico consilium. — De Ischiade, Arthritide, Podagra. — De remediis parabilibus. T. X. — Comm. VI. in L. Hippocratis de Diaeta in morbis acutis. T. XI. — Ad Thrasybulum. — De sanitate tuenda L. VI. — Comm. in Polybi L. de salubri victus ratione. — De alimentorum facultatibus. — De attenuante victus ratione. — De probis pravisque alimentorum succis. — Praeceptum de humani corporis constitutione. — De Ptissana. — De parvae pilae exercitio T. VI. — De simplicium medicamentorum facultatibus ac temperamentis. L. XI. — De compositione medicamentorum secundum Locos. L. X. — De comp. med. per genera. L. VII. — De antidotis. L. II. — De Theriaca ad Pisonem. — De Theriaca ad Pamphilianum. — De ponderibus et mensuris. — De succedaneis medicamentis. — Synopsis simplicium medicamentorum. T. XIII.

C h i r u r g i a .

Comm. III. in L. Hipp. de medici officina. — Comm. III. in Hipp. L. de fracturis. — Comm. IV. in Hipp. L. de articulis. — Methodus medendi. T. X.

Liceat mihi nunc jam merita Galeni in singulos scientiae ramos, breviter ast sincere recensere. Qua in re, ne repetitionis inamoena necessitas obtineat, maxime consentaneum duxi Anatomiae jungere Physiologiam, Semioticam a Pathologia non divellere, Therapiam et Materiam medicam junctim exponere, subjungereque in fine Chiruriam. Ergo

A.) Anatomia et Physiologia.

Usque ad tempora Galeni notio structuræ corporis jam multum exulta fuit; — quod hujus aevi erat scientiæ addere, totum ipse perfecit, cujus in hanc rem præ ceteris amor undique elucet. Nec tamen diffitendum est, Anatomiam suam solis dissectionibus animalium inniti, cadaveribus humanis nunquam investigatis.*) Alexandriae studii anatomici fonte, Anthropotomia jam etiam evanuit, solaque Osteologia ex ossibus humanis asservatis demonstrabatur. Hoc respectu noster Claudius circumspectionem commendat in asserenda similitudine structuræ animalium cum ea hominis; simias homini simillimas sequitur ursus, tum sus, solidungula, ruminantia. Desiderantur nihilominus criteria diversorum generum, sic vgr. animalia, cum digito pedum uno a reliquis separato, homini structura similia, — dentibus acutis destituta pluribus ventriculis instructa asserit, — ductum hepaticum duplicem homini quoque tribuit, — uterum suis scrophæ humano similem dicit.

Principia Physiologiæ Galenicæ hæc sunt: Communes partium functiones respondent gradui perfectionis animæ, inde corporum animalium diversitas. — Origo nervorum est in cerebro et medulla spinali, e cerebro exeunte. Arteriæ e corde, venæ e hepate oriuntur. Nervi vim psychicam a cerebro, arteriæ vim pulsandi a corde, venæ vim naturalem (physicam) a hepate mu-

*) Haller, Bibl. Anatom. L. I. §. 59.

tuant. Nervi conducunt facultatem sentiendi et movendi ab ortu (centro) ad partes singulas. Arteriae calorem animale[m] vehunt et pneuma nutriunt. Functio venarum est sanguinem parare, et in corpore dispendere.

Nervorum paria Galenus 7. novit: opticum, oculomotorium, divisum, maxillarem superiorem, cerebralem, vagum, lingualem, — ut igitur secundum recentem numerandi rationem par 1. 4. 6. 7. 9. et 11. desint. — Olfactorius nulli Anatomorum notus erat, quamvis Galenus mentionem faciat duorum processuum oblongorum, parte anteriori ventriculorum ortorum, ad laminam spiralem tendentium. *) En elementarem Galeni theoriam, qui laminam spiralem excretioni crassiorum, mucosarum materiarum e cerebro, suturas, subtiliorum, aëriformium transitui inservire docuit. — Nervorum universim tria statuit genera: duri motui, molles sensui, medii utriusque functioni minori in gradu dicati. Nervi moventes e medulla spinali, molles ex anteriore cerebri parte, medii e medulla oblongata oriuntur: opticus, cui nimirum nullus subjicitur motus, omnium molissimus, cujus expansio in retina, et canalis arteriae centralis constat: oritur e thalamis, filamentis nerveis usque in ventriculos cerebri posticos extensus, decussationem eorum perfectam non agnoscens Galenus, solum canalium utriusque communicationem concedit. — Nervi ad musculos oculi tendentis origo clara non datur. — Nervus divisus (nobis) in duo paria secernitur; par 3. ramum ophthalmicum et maxillarem inferiorem, par 4. maxillarem superiorem constituit. — Cerebralis (acusticus et facialis) Marino unum nervum dicente, a Galeno in duos nervos divisus, quorum unus meatum auditorium internum penetrat, alter per foramen stylo-mastoideum exit. Decursus paris 6. ad ventriculum, et diramationem in

*) Instr. Odor. C. II. pag. 335.

cavo pectoris ex investigationibus novit, nervum totum voci formandae dicavit, deligatione id probare admissus. Idem de linguali valet, et de nervis spinalibus, quorum origo exacte, decursus et formatio nervi phrenici eximie indicatur. Nervum sympathicum magnum nosse non videtur. *) — In descriptione cerebri arachnoideae nulla fit mentio, quatuor cerebri ventriculorum et cerebelli descriptio completa est. In ventriculis lateralibus pneuma formatur, qui praeterea organon olfactus, et derivativi nocentium e cerebro canales sunt.

Doctrina de musculis, quae in Galeno primum assiduum investigatorem nacta est, plurimas ei debet inventiones. Octo enim novos musculos detexit, inter quos popliteus, platysmamyodes, duo musculi masticatorii, duo motui brachii inservientes; — Formationem tendinis Achillis e gastrocnemiis et soleo se invenisse asserit. Musculi constant carne, tendinibus, nervis, prioribus vita vegetativa, ultimis animalis in musculo absolvitur. — Osteologia, ea, qua myologia diligentia elaborata, analogiae incompletae naevis ideo laborat, quod ab animalibus ad hominem translata sit.

In determinatione structurae et functionis Cordis et vasorum, Galenus se ipsum, aevumque suum superavit. Cor est ei musculus, a reliquis solo nervorum defectu diversus, ideo nullae cordi in vitam animale[m] partes. Arteriae, perinde ut nobis, tribus componuntur tunicis, sanguini pneumate donato, e corde venienti dicatae; — motus sanguinis descriptio tam exacta est, ut reipsa pro circuitus detectore haberi possit. Cordis contractione sanguis e ventriculo sinistro in aortam, inde per arterias usque ad extimos fertur fines, hic per innumeras anastomoses venis infundendus. Vena cava colle-

*) C. Sprengel. Gesch. d. Arzneik. T. II. §. 60. asserit, eum notionem nervi accessorii, et sympathici magni e vago formati habuisse.

ctum sanguinem cordi dextro adfert, ex hoc per arteriam pulmonalem (*φλέψ αετησιώδης*) in pulmones, per venas pulmonales in cor sinistrum revehendum. Motum cordis in animalibus observavit, expansionem et contractionem atriorum et ventriculorum isochronas statuens. Novit discrimen sanguinis arteriosi et venosi. Valvularum in venis nullam habuit notionem. Nec destinationem ductus arteriosi Botallii, nec mutationes foraminis ovalis in corde ignoravit.

Pulmo componitur e ramificationibus venarum pulmonalium et arteriarum; ramis laryngis et proprio parenchymate. Inservit susceptioni pneumatis ex atmosphaera, scopo calorem animale conservandi. Quin vero principiorum per respirationem assumtorum cognitionem haberet, cum tamen flammam et vitam animale iisdem conditionari aëris partibus constitutivis pateret, respirationem cum combustionem comparavit. Respirationem suscepta pars aëris (spiritus vitalis) calorem animale temperat (?), cui subordinatus usus respirationis consistit in nutritione pneumatis (spiritus animalis).

Omnes reliquas organismi functiones Galenus communi naturalium nomine comprehenditur, quibus spiritus naturalis praeest, in hepate residens. In hepate est origo venarum, hic sanguis paratur, ex hoc nutrimenta corpori dispensantur (en hepatis in nutritione usus!). — Lien ut organon purificans hepatis adnexuit, qui proprium nutrimentum ex arteriis copiosis haurit, quod sui nutritioni ineptum est, specie atrae bilis et sordium ventriculò invehens.

Secretio principiis mechanico-dynamicis insistit. Vesica fellea foraminibus pertusa est, ut e sanguine hepatis bilem separare possit. Renum substantia ideo compacta, et ductibus subtilioribus instructa est, quod humorem aquosum attrahere et transmittere destinantur. In his et omnibus peripateticorum principia sequens, substantiarum virium existentiam asseruit, datur igitur vis

creans, nutritionis, incrementi etc., quae viribus fundamentalibus naturalibus, attrahenti, secernenti, continenti, expellenti subordinatae sunt, systemate atomistico prorsus rejecto.

Dogmata elementaria Physiologiae Hippocratico — dogmatico — peripateticae ubique dominantur. Qualitas elementaris simplex nulli corpori convenit, cum elementa semper mixta occurrant: ideo calor, frigus, siccitas, humiditas non sunt proprietates corporum purae, verum praevalentes solum, ut egr. in nervis durities et siccitas, durities et frigus in ossibus etc., ceteras obfuscant qualitates. Sanguis, mucus, bilis flava et atra sunt corporum partes constituentes fundamentales proximae, ex elementis conflatae, mutationibus obnoxiae. Sanguini omnes insunt, cum omnes o sanguine prodeant. Doctrinam de quatuor temperamentis huic superstructam Doctrinae, de quorum numero certabant medici, vindicavit, quintum adnectens temperamentum, sic dictam Eucrasiam, seu omnium temperamentorum aequabilem concentum, seu statum perfectae sanitatis, nulla in morbos eminenti dispositione distinctum. Doctrinam de partibus genitalibus (jam excultam) ingeniosa sexus utriusque comparatione ornavit, muliebres cum virilibus eadem, sed in evolutione sufflamatas dicens. In generatione sexus uterque partes habet, praevalens viri actio; semen muliebri imperfectius est (frigidius) virili. In foetu primum formantur membranae, tum vasa sangvifera cum intestinis, postremo cartilagines, ossa et ungues. Adhaeret tamen opinioni vulgi, foetum masculinum in dextro, femineum in sinistro uteri latero formari.

B) Pathologia et Semiotica.

Galenii tractatus Pathologiae generalis principia continet vel ab origine adoptata, vel serius pro veris agnita, ingenii auctoris documenta praestantissima. Sanitas est status functionum corporis illaesarum, in naturali

partium structura fundatus. Morbus consistit in turbato partium concentu, structurae partium laesae ortum debens. Structura relationes chemicomechanicas, nempe formam et mixtionem complectitur. Distingvuntur autem respectu structurae partes similes, arteriae, venae, nervi, ossa, membranae etc., compositae, pulmo, hepar, cor etc. et communes partes constitutivae elementares. Hinc tres morborum classes. Classis 1-a morbi partium similarium subdividitur in morbos a mechanicae, et in morbos a chemicae relationis vitio. Classis 2-da 5 Ordines agnoscit: 1.) Figura. 2.) Numerus. 3.) Magnitudo. 4.) Situs. 5.) Relatio mechanica — abnormes; hi vocantur morbi organici. — Classis 3-a morbos universales, in vitiata elementorum compositione fundatos comprehenditur.

Qualiscunque autem locum habet in corpore status abnormis, vel morbus, vel causa, vel symptoma est, quae nomine communi affectionis (διάθεσις) veniunt. Morbus est oppositum sanitatis. Passio (πάθημα) est effectus causae excitantis perdurantis, quae remota causa simpliciter affectio (πάθος) vocatur. Causa est omne morbum praecedens, ei excitando par. Symptomata sunt casus, durante morbo ingredientia, morbum comitantia.

Pyretologia Galeni eam priorum scholarum non superat. Essentia febris consistit in abnormi temperie mutatione, quae si in pneumate obtinet, febris ephemera levissima. Reliquae divisiones typum respiciunt: febris intermittens quotidiana a muco, tertiana a flavo, quartana ab atra. — Inflammatio est penetratio sanguinis in loca non consveta, cui si pneuma accedat spiritiosa (πνευματώδης), si sanguis solus accedat phlegmonosa, cum bile erysipelacea, cum muco aquosa (φλιγματώδης) erit.

Ceterum defectus observationis hippocraticae in no-

stro merito arguitur Galeno. Ingeniosis animadversionibus speculativa adjungitur theoria, elaborationis dialecticae testis: — quod de Semiologia imprimis valet, cui artificiosa simplicitas deest. Historiae morborum quas enarrat, prognoseos infallibilitatem scopum agnoscunt, ut audax auctoris assertum: nunquam se in suis praedictionibus, Dis juvantibus, errasse *) confirmetur. Meretur imprimis legi historia adolescentis romani, cui epistaxin praedixit, eoque insignem meruit famam **) — Inter signa diagnostica maximam pulsus facit dignitatem, cujus descriptiones copiosas fecit, adnexis ingeniosis scholae pneumaticae speculationibus: — e quibus erronea de effectiva arteriarum contractione et expansione opinio, in novam etiam pulsus doctrinam abivit.

C. Therapia et Materia medica.

Doctrina de indicationibus curae, solertissime elaborata, nec tamen naevis theoriae speculativae vacat. Empirici indicationes Dogmaticorum rejecerunt, quod dogmaticis intuitibus superstruerentur, scopum therapiae omnem eo ipso negligentes. Galenus indicationem ab experientia, cum dogmatica non solum non conjunxit, sed etiam asseruit: curam ab experientia prorsus isolatam, e solis principiis theoreticis exire oportere, — cum secundum indicationes instituere morborum curam nil aliud sit, quam morbum indoli et naturae propriae convenienter tollere. Ipse tamen passim experientiae leges in tractamine aegrorum sequens, in hac medicinae parte claritate et ingenuitate omnino destituitur.

Indicatio igitur prima petitur ab essentia morbi, quam si eruere non licet, anni tempus, constitutio, vitae genus et vires aegri, in casibus rarissimis fortuiti casus consulantur. Hujus lex est: statum morbosum

*) Comm. 2. in L. I. Epid. p. 383.

**) De praenot. ad Epigen. p. 456.

per oppositum sufferre, in genere calorem frigore, siccitatem humefactione, stricturam relaxatione etc. — Nec tamen indicationes numerosas subordinatae negligantur, quae a natura causae remotae (indicatio causalis), partis affectae situ et indole, statu virium desumuntur. — Diaetetica inflammationum et morborum acutorum Hippocratem sequitur: — Cura singulorum morborum saepe precaria est, sic vgr. venaesectio absolute necessaria in feбри quartana. — Remediorum principalia in essentia cum aliis conveniunt. Venaesectio in plethora, morbi vehementia, viribus exsuperantibus; vena in latere affecto aperienda. Venaesectio revulsiva, uti in genere methodus derivans eximie describitur. In adplicatione evacuantium principiis dogmaticis adhaeret.

In Pharmacologia theoriae elementari amplius patuit campus. Licet autem remedia inventa jam exstiterent, generalium tamen ad specialia deductio Galeno debetur. Princeps hujus lex est: omnium corporum naturalium ad invicem, proin et pharmacorum ad corpus et partes relatio, e temperie dijudicatur; quae cum absoluta non sit, remedii adplicatio individuali aegri et partis affectae statui adaptanda est, ceteroquin a harmonice temperato partium elementarium concentu derivanda. Gradus efficaciae quatuor: primus sensibus non patet, alter signis manifestus, tertius vehemens, quartus destruens. (egr. actio frigoris et caloris intensitate crescentium). — Nec tamen solae qualitates corporum elementares, sed et quae corpori empirice insunt actionis species apud Galenum occurrunt. Dantur itaque remedia evacuantia, continentia, condensantia, attenuantia, adstringentia, relaxantia, septica etc. Obtinet praeterea specifica pharmaci a certo organo attractio, identitati qualitatum elementarium innixa. *) Genio hu-

*) De compos. Medic. L. I. p. 312. 313.

jus aevi convenienter certis casibus morboris, certum apparatus, compositione medicamentorum variorum conflatum, Galenus studiose quaesivit: invehitur tamen in medicos, qui commendatione cosmeticorum, pilorum incrementum, cutis teneritatem, mammarum formositatem promoventium, amorem hominum captant. — Vires remedii unius compositas illustrare conabatur, sic de Opio: Respectu temperiei Opium, ut omnia narcotica, est frigidum, ideo in corpore notabilem, in gradu summo invincibilem frigoris efficaciam videmus, ad moderandam hanc actionem calefacientia jungantur, cui Castoreum convenientissimum, terendo admiscendum. Opii usus frequentissimus externus in emplastris, infrictionibus etc., cujus solutionem concentratum mustum (Sapa) melius perficit quam vina dulcia. Quam precarius ejus fuerit in morbis oculorum usus, casus numerosi Amauroseos, Amblyopiae, Phthisis bulbi testantur. — Opium contra morbum nil efficit, mediate vero ad sanationem confert dolores sopiendo, somnum procurando, ideo in omnibus malis dolorificis, agrypnia, tussi, phrenesi nulli aequiparandum.

D) Chirurgia.

Merita Galeni in Chirurgiam minora sunt, cum et amor in hanc rem, et exercitium ei defuerint. Pergami, ut in Biographia dictum, eam felici cum successu exercuit, Romae nullo medico operationes chirurgicas faciente. Nihilominus urgente necessitate ipse venam aperuit, et vice una trepanationem ossis sterni in empyemate suscepit. Videtur ceterum Chirurgiam ejus notione adplicationis emplastrorum, unguentorum et fomentorum, in omnibus nozarum externarum speciebus, fasciationum et machinarum ad luxationum et fracturarum curationem absolutam fuisse. Cauteriis minus favens, eorum adplicationem casibus desperatis reservavi.

E p i l o g u s .

Galenus inter universos omnis aevi Medicos solis adinstar elucet adeo, ut Historia ingenium fulgentius non noscat. Latissime patentem, immensam in omnibus scientiarum ramis eruditionem possedit, Magister in omnibus agnitus. Vixit tempore, quo sectae perniciosissimae in scholis medicis obtinuerunt, quo Medicos singularis propria systemata cudendi invasit cupido, quo Dialectica medicinae quam dare debuisset, lucem ademit, quo merita Medici practici copia compositionum metiebantur, quo regulae rationalis Therapiae ne cogitatione quidem fovebantur. Hic noster Galenus, divi Hippocratis tramitem ingressus, naturae et veritatis aperuit portas. Philosophus eclecticus Platonem, Aristotelem, Hippocratem conciliare conabatur. Vix non omniscius, rhetorica eloquentia, quae voluit cuius persuasit, et e rudibus scholae pneumaticae chaoticis, singulas systematis sui partes in totum eximium construxit. Fidem fere superans operum numerus, ubique solertissimae diligentiae faciem exhibet, jure meritoque divino honore veneratus, philosophorum princeps habitus. Si aevum sequens qua fide et obedientia Doctrinam medici Pergamensis amplexum fuit, ejus simul animum perspicacissimum et diligentiam haereditasset, jam longo tempore in fastigio conspiceremur perfectam scientiam medicam. Fatis vero ita ferentibus animi gentium superstitionis et barbariei gravi lethargo oppressi, per saecula dormiverunt, post saecula iterum evigilaturi. — Coeca hominum post Galenum, qui se Medicos nuncuparunt, progenies, hunc ceu idolum coluerunt, felices, hunc iisdem, nec indignum summa omnium veneratione, praeluxisse!!

T h e s e s.

1. **Historia Medicinae, veri nominis Medico utilis et necessaria.**
 2. **In monumentis antiquis multa, quae tamquam nova et inaudita jactantur, reperies.**
 3. **Halleri, Zinni, Saucerotte et aliorum experimenta circa cerebri functiones obscura, confusa, insufficientia.**
 4. **Recentiores fere ubique appendices et imitamenta vident.**
 5. **Dolor morbos creat sanatque.**
 6. **Endemicae morborum causae tolli non raro possunt.**
 7. **Dantur remedia specifica.**
 8. **Membranae mucosae cutis externae propago.**
 9. **Graviditas cum sanitate consistit.**
 10. **Nosocomia Policlinicis praeferenda.**
 11. **Systema Medicinae condere unius hominis vires superat.**
 12. **Animi mores corporis temperamenta sequuntur. (Galerus.)**
-

